



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

Tuiciense, ..., è regione Coloniae Agrippinae in dextra descendentis in  
Belgicum Rheni situm, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**



**TUICIENSE**, Benedictinorum monachorum amplissimum  
 opulentissimūq; cœnobium, è regione Coloniae Agrip-  
 pinæ in dextra descendens in Belgicum Rheni situm, funda-  
 tum est annum Christi circiter 1012. ab Heriberti Archiepiscopi  
 Colonienfis germano fratre quodam, Comite Rotemburgio ad  
 Tubarum, cujus tamen nomen mihi non constat. Is in magna  
 difficultate, crudele Hattonis Moguntini Archiepiscopi exem-  
 plum imitatus, ingentem mendicantium pauperum, ut inutilem  
 multitudinem, in horreum ruri situm convocatum, incendio  
 cum delevisset, sceleris tanti poenitentia tandem ductus, Ro-  
 mam Pontifici supplicatum venit, à quo absolutus cum jubere-  
 tur cœnobium construere pro talis peccati satisfatione, Colo-  
 niæ fratrem Archiepiscopum convenit, cujus consilio pariter  
 ac auxilio in perveteri oppidulo Tuiciensi, eoq; ipso loco (ubi  
 antiquitus *Tuisconis* primi Germanorum regis castrum fuisse  
 affirmant) oratorium & domum Dei condidit, in qua pietatis &  
 literarum florent studia, Deoq; recte serviret & probe etiam  
 institueretur scholastica, ecclesiæ & reipub. aliquando servitu-  
 ra juvenus. Catalogus hujus loci gubernatorum talis à me il-  
 lic collectus & conscriptus est.

*Alter  
 Hatto  
 Mogun-  
 tinus.*

*Oppidu-  
 lum Tui-  
 ciense,  
 olim Tui-  
 sconis se-  
 des.*

1. *Fulbertus* primus Abbas per Heribertum fundatorem  
 ipsum constitutus esse legitur: cui succedere

*Abbatum  
 ordo.*

2. *Radolphus.*

3. *Weriboldus.*

4. *Otho.*

5. *Hartmannus.*

6. *Rudolphus.* Hic tribus simul Abbatibus præfuit potentis-  
 simis, Tuiciensi, Werthinensi & Indensi. Novissime cum Epi-  
 scopatum Osnabrugensem affectaret, veneno sublatus periit.

7. *Luitfridus.*

8. *Bavo.*

9. *Marquardus.*

10. *Rupertus*, omnes sui temporis magistros literarum sci-  
 entia, eruditione & doctrina antecellens, libros plurimos com-  
 posuit, quorum hæc sunt nomina.

*Rupertus  
 Abbas  
 Tuiciensis  
 πολυγρά-  
 φος.*

Bbbb 2

Ex-φφ.

Expositio Evangelii secundum Joannem, lib. 14.  
 Apologeticum ejusdem operis, liber unus.  
 Tractatus super librum Geneseos, libris novem absolutus.  
 Tractatus super librum Regum. (libri 22.)  
 Tractatus super librum Apocalypseos, lib. 12. & iterum  
 Opus de Officiis divinis, lib. 72.  
 De S. Trinitate in vetus Testamentum, lib. 42.  
 In librum S. Job, libri decem.  
 Expositio super 12. Prophetas minores, libri 30.  
 Liber de processione Spiritus sancti.  
 Liber de victoria verbi Dei, lib. 13.  
 Expositio super Cantica canticorum, lib. 7.  
 Expositio super regulam Benedictinam.  
 Meditationes de incendio oppidi Tuiciensis, libri tres.  
 Disputatio Christiani atque Judæi.  
 Liber metricè compositus.  
 Expositio Evangelii super Matthæum.  
 Opus de gloria & honore filii hominis.

Et hæc ingenii sui monumenta ferè omnia dedicavit Friderico, Archiepiscopo Coloniensi: quædam etiam Chunoni, Episcopo Ratisbonensi, antea Abbati Sigeburgensi. Huic Abbati iterum successere.

11. *Rudolphus.*
12. *Gerlacus.*
13. *Hartobernus.*
14. *Rembodo.*
15. *Theodoricus.*
16. *Florentius*, qui & Indensi, hoc est, S. Cornelii monasterii Cæno-  
 bium. rio, prope Aquisgranum sito, præfuit eodem tempore: ubi etiam honorifice depositus ac terræ mandatus est.
17. *Godefridus.*
18. *Bruno.*
19. *Joannes.*
20. *Henricus.*
21. *Philippus.*
22. *Waltherus.*

23. Jo-

23. *Joannes.*  
 24. *Wernberus.*  
 25. *Embrico.*  
 26. *Otho.*  
 27. *Franco de Leyten.*  
 28. *Alexander de Lullstorff.*  
 29. *Meinricus Fridachius, Marcensis, Abbas vicefimus nonus.*  
 30. *Albertus de Steinbus, id est, lapidea domo, Montensis.*  
 31. *Henricus Laner de Breitbach.*  
 32. *Bertholdus Spreng, Marggenfis.*  
 33. *Wilhelmus Laner, de Breitbach, qui monasterium Tuicente reformavit & ad unionem Bursfeldensem feliciter reduxit, vir pius ac religiosissimus.*  
 34. *Gerlacus de Breitbach.* De his omnibus præter nuda nomina nihil in literas relatum est.  
 35. *Henricus Horst de Nussia* eligitur anno Domini 1512. Præfuit annis 33. Deceffit ex hac mortali vita anno salutis Christianæ 1545.  
 36. *Henricus Uredenus, Westphalus, ex Monasteriensi ditio- ne natus, successit Horstio.* Is præsidebat adhuc anno Domini 1550. quo ego Coloniensia monumenta inspiciens, & Tuicium etiam invisens, nihil ferè ibi inveni monumentorum celebrium, quam magnificum tumulum S. Heriberti, Archiepiscopi Coloniensis, Comitis Rotenburgii, veri fundatoris, qui situs est in principaliore ac perfectissimæ rotunditatis Basilica. In ipso tumulo Episcopi inventa est tabula plumbea ad caput antistitis tumtali inscriptione soluta:  
 Anno ab incarnatione Domini nostri millesimo vicefimo primo, 17. Kalend. Aprilis obiit Heribertus, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, qui de suo proprio sumtu hoc monasterium fecit.  
 Ad pedes vero Episcopi inventa est talis inscriptio in eodem sarcophago.  
*Heribertus, Coloniensis Archiepiscopus, constructor hujus Ecclesiæ, anno incarnati Verbi millesimo vigesimo ipsam consecrauit in honorem Salvatoris mundi, ejusq; Genitricis.*

Bbbb 3

VAG-